1686 die 22 Aprilis

Poezya 3042.

Rotkiewicz Concessi: Altitudo Domus Dei et Sapientiae – dum VV. XXV viri, secundae laureae Candidati Philosoph. Doctoratus licentiati renuntiarentur – creata.

ALTITUDO DOMUS DEI, & SAPIENTIÆ,

Sub Eximia Protectione,

ILLUSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. IOANNIS

DE MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriæ, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

CANCELLARII

Fauentissimi:

DUM

VV. XXV. Viri, Secundæ Laureæ

CANDIDATI,

A

PERILLUSTRI & ADMODUM REVERENDO DOMINO,

D. M. IOANNE

MICHALSKI,

S. Th. Doctore, & Professore, Præposito S. FLORIANI, S. GEORGII in Arce Cracouiensi Custode, Scholarum Nouoduorscianarum PROVISORE, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

PROCANCELARIO DIGNISSIMO,

Philosoph: Doctoratûs, Licentiati, Renuntiarentur,

A

V. & Adm: Rňdo D. Patre CONCESSO ROTKIEWICZ, Ord. Can: Reg. de Pænit. Beatorum Martyrum, Ejusdem Secundæ Laureæ Candidato, protunc Præposito Bogoriensi:

Luci Publicæ

ERECTA.

ANNO DOMINI, 1686. *Die* 22. *Mensis Aprilis.*

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustr. ac Rňdiss. Dňi Episc. Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Scholarum Nouoduorscianarum Typogr.



Illustrissimo ac Magnifico Domino,

D. CAROLO DE CZEKARZOWICE TARŁO,

PALATINO LVBLINENSI, CAPITANEO STĘZICENSI, &c.

Domino & Mæcenati Amplissimo:

A*Ltitudinem Domûs* DEI *& Sapientiæ, Philosophicâ Lauru coronatam; dum Illustrissimo Nomini Tuo dedicatam sistere intendo, Illiadem votorum meorum, hucusq; temporum volubilitate prouectam, & Maiestate immortalis gloriæ Tuæ in immensum auctam; iam nunc etiam mihi felici auspicio, ad manum & incudem, promouere necessum atq; solenne est.* Illustrissime Domine. *Princeps enim hæc mihi cura fuit, vt adhuc ex Comitijs regni generalibus, Sago & Togâ Maximum, inter Senatorias Curules, Purpuræ Patrem, Te* Illustrissime Domine, *ad propria feliciter reducem, meritissimis laudibus celebrarem; sed quia debilis valetudo, iam currere incboantem, per vastissimas gloriæ Tuæ Olympiades, manum & Calamum impediuit, animo nihilominus eam alacritatem indidit; quâ nisi sub ingenti Nominis Tui mole, ad Illustrissimas Tuas plantas, Clientis Encomiastæ Tui Titulo insignitus, peruenire possem, nunquam, vel inter felices calculum habere, vel mihi satis viuere iudicarer. Serò quidem, quia vbi iam mille propemodùm Cyneæ in solennitate Palatini honoris Tui, aureo sudauerint stylo; vix ego deciduas illorum guttas, imitatore Calamo, colligendas suscepi. Sed quoniam ad Maximum Illustrissimi decoris Tui apparatum, ipsa etiam loquax meritorum fama, attonita hæsit, & facunda Oratorum Rostra, elingue potiùs silentium colere, quàm loqui cupièrunt; ideò impar tantæ Maiestati suada mea, nonnisi habitis, amplitudinem meritorum Tuorum ingredientium Tulliorum vestigijs, ad Purpuram, non sine verecundia accedere potuit. Quidni enim felicitatem suam in laudibus Tuis quærat atq; miretur, præstans eloquio vates; in quo, quidquid videndum intenderit, vltra Apellis & Lysippi, circa Macadonis Ideam laborare valentium, felicitatem; etiam in se mirabitur facultatem: dum in palmarem gloriæ Tuæ adoream, rem, non ænigmata, merita & Virtutes stupendas hodie, nectere præsto habet. Nec certè potuit alibi, gloria immortalis sedem sibi securiùs figere; quàm in Te* Illustrissime Domine; *qui illius Maximorum* TOPOREORVM *Domûs, Columna es infracta; in qua sublimis honor, & altissima Lechici Orbis decora, ab annis plusquàm sexcentis, iuratâ fide supremis ipsorum meritis, & Votiuis Nobilitatis Polonæ suffragijs, metropolim sibi fundauêre augustam. Si fidus Comes Virtutis honor, alibi per semitas, exiguis titulis sectas vagabundus, liberis, incedit passibus, & quos ipse voluerit, comitari didicit: Tibi* Illustrissime Domine *vt primùm adhæsit, æterno fœdere, constantissimè mancipari voluit: si alijs peregrinus est & aduena Honor ideò, quia*

A in vo-

in voluntate sua positum habet, sequi illos, non minùs, quàm deserere: ast in Illustrissima Domo Tua Incola est perpetuus & hæres quia pro lege & Voto suscepit, Illustrissimam propaginem Tuam splendidis exornare titulis: Liberè quidem, quia virtutum pedissequus intrat, sed mancipatus omnino, quia exire nec patitur, nec didicit vnquam. Quid enim illi meliùs, sublimiusuè ad Aram gloriæ, conuenire potuit? quàm Illustrissima TARŁOVIORVM *Domus; in qua ob Origine regni, receptaculum sibi, non vanâ Dedali Ope, sed versatili, Diuini Alcemedontis manu exstructum, ac præstantissimis Columinibus abundè fultum, contemplatur: Videtq; illam, non super Lybicas arenas, aut pumices maris fundamenta sua iecisse, sed super solidissimam Petram, grandem Nominis sui molem ædificâsse. Ita porro Domus Illustrissima* TARŁOWIANA, *firma atq; decora, foris & intùs conspicitur, vt vel sola ad amplissimam vniuersi Honoris Maiestatem, ferendam, sufficiat: dum quidquid Maximas in Orbe Sarmatico Prosapias, vltra Herculeum robur sustentare potuit; totum hoc* TARŁOWIANO *culmini euehendo super sidera, & super vulgares annos conseruando, vnitas vires, & amicas porrexit manus. Loquuntur hoc magni illi Sarmatici Cyneæ* OSSOLINII *Ducatûs in Osolin ab* VRBANO VIII. *Pont. Max. & Principatûs* S. R. I. *à* FERDINANDO II *magnis splendoribus aucti. Loquuntur* KORICINSCII *Comites Pileccij;* LACKORONSCII *in Ostrog, Wiśniowiec, Zbaraz, Klewan Duces* ZAMOISCII, LVBOMIRSCII, TARNOWII, SIENIAWII, *& vltra Aquilonum Climata, supremis orbis Litaui honoribus celeberrimi* SAPIEHÆ; *alijq; Sexcenti Lechici orbis Principes Illustrissimi, Heroes inuictissimi, in maximis Patriæ negotijs Consi prudentissimi, Sago & Togâ celeberrimi Curtij, Athlantes, turmatim properant & occurrunt. Pietate ac Diuinissimo Orthodoxæ fidei cultu.* TARŁOWIANA FAMILIA, *quis cælo propior fuit? Testis Ecclesia Mater; cui ex hac Illustrissima propagine, ad Cathedras, Pontificumq; Tiaras, dignos cælo, Præsules, non cæco respectu, aut mortiferâ auri peste, sed Virtute Præside, Sanctitate indice, cognoscere & assumere iucundissimum fuit. Hic mihi occurrit, vnus quidem, sed Leo ad portam Ecclesiæ* DEI, *contra inimicas hæreses peruigil excubans, Illustrissimus* PAVLVS TARŁO *Archiepiscopus Leopoliensis; cuius altitudo ita accessu facillima, vt ad illam Omnia omnium vota, imò & corda ascendere, & velut ad Sapientiæ pietatisq; medullam, eo impetu ferri non dubitarent; quo Illustrissimam* TARŁOWIORVM ASCIAM, *ad suprema Poloni Poli sidera extollerent. Hîc Palatinorum dignitates Cancellariorum Regni Supremorum Sigilla, Enses Patriæ & vexilla, aliaq; trecenta honoris insignia, viderunt secula; quæ Domum hanc Illustrissimam exornârunt. Assurgunt in palmas* TARŁOWIANÆ *Gloriæ Sacras Magni illi Reipublicæ Colossi,* OTTO *de Czekarzowice,* NEORIVS, IOANNES & alter IOANNES TARŁO *Sandomirienses Palatini. Micant gloriosi etiamnunc in turbine plumbei seculi nostri, aurei quondam æui, pondus & singnacula,* Illustrissimi, NICOLAVS TARŁO, *supremus Regni Cancellarius,* IOANNES TARŁO *Regni Incisor,* HIERONIMVS TARŁO, *contra Othomanos in Podolia, temporibus Sigismundi Regis fortissimus Annibal.* CAROLVS *Vislicensis,* SIGISMVNDVS *Sandecensis primò, postea Betzensis,* IOANNES *Radomiensis, Castellani* IOANNES & ADAMVS *Sandomirienses,* IOANNES *Leopoliensis,* NICOLAVS *Premisliensis vexilliferi, hostibus Patriæ inimicissimi, Regibus fidissimi, magnanimitate pectoris fortes, & candidi; ex quibus nemo Protheus, sed quilibet Diuinus Cato. Inter quos recens mihi operis gemma & splendor in memoriam venit,* Illustrissimus Parens Tuus PETRVS TARŁO, *Palatinus Lublinensis, Orthodoxæ fidei Zelator primarius, Exercituum Domini, contra Epidaurium Stygis serpentem, portamq; Othomani, flammiger acerrimus, Reipublicæ basis & fundamentum, consiliorum Abyssus, sapientiæ arcanum, purpuræ & Augusti Senatûs genuina Imago. Illustre par germani sanguinis Tui,* IOANNES TARŁO *primò Lublinensis, postea Sandomiriensis Palatinus; cuius*

cuius fortitudinem in bello, prudentiam in agendo, Suecia, Transyluania, Vkrainensis Turbo, & rigidus Moschorum Aquilo, ad glacialem coactus pontum sensit, & ingemuit, cum ALEXANDRO TARŁO, *Castellano Zawichostensi palam ostendit, quid mens ritè quid Indoles nutriat* TARŁO *sub penetralibus. Serenissimâ fronte spectauit toties, ipsi par viribus Macedoni, inuictissimus Rex Noster* IOANNES, *quando nuper propriis manibus, infracto animo, aureum Viennæ bolum, Othomano Draconi sæpiùs delibatum, è faucibus ereptum, restituit; ac in Vngaria ad Arces Strigonienses, & Parcanorum mœnia, Danubium, tabo & sanguine mistum, ad victorias suas erubescere multas ibidem ripas in laudem & Triumphos Orbis Christiani, hostili cruore, seculis ad stuporem sudare fecit: vidit inquam,* Illustrissimum STANISLAVM, *annorum serie, sequacem Tuum, verum Martis Poloni ad strepitus, tumidosq; gentis Thraciæ horrores, fulmen; Quem ex S. R. M. Suæ Roth Magisterio ad Castellanatum Zawichostensem, tanquam pro laboribus strenuus, ad initium præmii promouendum necesse duxit. Et quamuis hæc omnia, quæ à Maioribus æqualibusq; Tuis, Tibi ad honorem, Illustrissimæ Familiæ suæ ad gloriam acta sunt immortalem; nihilominùs tamen, vt faciliùs omnia hæc, Tua crederentur esse: Tu illa; quæ à Maioribus Tuis accepisti, virtute & moribus propriis, beatâ praxi ostendisti: hoc Tuum genuinè ratus, quod præcedentibus gloriosè succedit. Quare versatili* ASCIA TVA, *Fundamenta Illustrissimæ Domus Tuæ, non destruere sed extruere natus, dilectus Tibi fauentium mentes, tanquam auro nitentes Carbunculos, in murum Aheneum, Illustrissimæ Domûs Tuæ adaptare cæpisti. Emeritus virtute honor, dignum tantis laboribus accessit præmium; quando votiuo Terræ Stężycensis applausu, eiusdem Capitaneus factus, merita Tua in Deum, Patriam, Ecclesiam, fidelitate erga Reges, candore erga omnes, in tantùm dilatâsti, vt inde totius Poloniæ amplitudinem benefactis Tuis abundè impletam ad vincula amoris Tui destinatam facilè crederemus. Quomodo enim ab aurea hac captiuitate immunis potuit esse Patria? ad quam omnia Ciuium corda, vnanimi voto abire contenderunt. Sandomiriensis & Lublinensis Palatinatus, quoties Comitia, & maxima in publicis priuatisq; negotiis suis agebant consilia, toties sacram Amoris Tui aram, confecisse videbantur. Poscebat quippe summa æquitatis ratio, vt Gentilitia* ASCIA *Tua, quæ in Comitiis Regni altissimis conseruandæ reip. consiliis, ardua rerum plusquam Gordios nodos facilè dissecuit, Patriæ ad auxilium nata, contra Dei & Poloniæ hostes, à primordiis Regni, ad hoc vsq; temporis, Arma subministrare non desinat validissima: quæ altissima reipublicæ columina, Poloniarum Maiestati & ponderi apta, toties ædificauit: quæ innatâ sibi benignitate, omnium corda mille beneuolentiæ ictibus sempiternè tetigit. Sed parum hoc Serenissimo Poloniarum Regi in oculis totius Sarmatiæ visum est, Te inter limites Terræ Stężycensis, Capitanei titulo contineri, ad purpureas Senatorum Curules, (vbi Legatum ad Comitia regni Generalia Varsauien: ex Palatinatu Lublinensi Catone quouis gloriosior ageres;) Palatinum Lublinensem creandum necesse duxit. Hîc iam vbi ad fastigium Paterni honoris progredereris, an à Te Senatus, an Tu à Senatu splendorem mutuas, dignoscere arduum est. Ita enim Purpuram indutus, ceu ad illam natus, in medio Patrum Patriæ laudabiliter stetisti, vt quilibet sicut Purpuram Tibi, ita Te purpuræ gratulari non dubitaret. Verùm & res ipsa splendorem Tuum, luculentissimus probauit factis, & cuius nam fueris momenti Lechiæ, demonstrauit; dum ex iisdem regni Comitiis, Te ad Tribunal Radomiense primò propter stipendia exercitibus Poloniæ discernenda, vindicanda, inibi Præsidem salutauit; postea Cracouiam, ad Reuisionem thesauri publici, vnâ cum* Illustrissimo PRINCIPE ANTISTITE, *Te quoq; Principem negotii illius assignauit. Quæ quoniam enumerare alia nundum licet, alia verò vltra humani ingenii vires multitudine & maiestate suâ processêre, ideò impar ego his laudibus Orator, stylo non animo deficere cogor. Vnicum tamen pro Coronide peto, vt Altitudini Domûs* DEI *& sapientiæ, Tibi in æuum, à me Nomini Tuo consecratæ, benignus fauere velis. Illa enim est; quæ dici Tua potest. Gentilitia porro Ascia Tua etiam Philosophico operi ac-*

commo-

commodata hanc etiam Altitudinem construxit, Gratia & Patrocinium in Te Illustrissime Domine *Laureis nostris proposita, in Altum bonæ spei, & felicissima in Academici Operis Augem, erexit. Reptaret humi, testudinis instar, deficeretq; nec à tuguriis Codri discerni posset (opinor) domus ista; nisi ad sustentaculum eius, Tua Gentilitiâ Asciâ, bases aptarentur & Columnæ. Agnosce igitur* Illustrissime Domine, *iam in sinum Tuum inclinatam Ædem hanc, vel exinde Tuam esse, quia & à fauentissima Tibi Alma Vniuersitate nostra, per me eius filium, consecratam, & Gentilitiâ Asciâ Tuâ ornatam intueris. Quod dum beneuolo suscipies animo, videbunt secula, Asciam Tuam illam esse, quâ & Mars verior Dedalus, triumphales exstruit Arcus, &* Diuina *Pallas, domum sibi, & altitudinem Cælo proximam ædificare potest. Faueat ergo Asciæ huius, melior Author* Deus, *& qui illam ad vtilitatem & bonum vniuersi, ab Initio Sarmaticæ gentis, multis splendoribus ornauit, illæsam conseruauit, in Te* Illustrissime Domine, *Æmulaq; Virtutum Tuarum carissima Indole Tuâ, æternùm foueat, sibi, Ecclesiæ, Patriæ, ad Gloriam, vtilitatem, defensionem.*

Cum toto meo Sacræ Religionis Ordine, precor.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ æternùm

obligatissimus & humillimus

in Domino Cliens.

P. CONCESSVS ROTKIEWICZ, Ord: Can: Reg. de Pæn: BB. Mart. Secundæ Laureæ Candidatus. protunc Præpositus Bogoriensis.

DOMVS DEI & SAPIENTIÆ,

INCOLÆ BEATISSIMO: Orbis Academici Lumini Maximo: Regni Poloniæ Patrono Singulari: Studiorum, Præsidi Sanctissimo,

D. IOANNI CANTIO.

Dedicatoria Secundæ Laureæ, PANEGYRIS PRIMA.

SCeptra Virumq; cano; Lechicis qui primus aboris,
Alta, per Empyrei conscendit Sidera Cæli;
Magnæ & hyperboreæ confert sua Lumina stoæ.
Hunc mihi principijs Musæ, celebrare necessum est,
Illi primitias nostri Sacrare laboris,
Arcto jure manent hæc legis vota clientûm;
Vt referant, Sacro, veniens de pectore munus,
Et quem Stoa colit, deuotâ mente celebrent.
O Te, Sarmatiam! Matremq; IOANNE Beatam.
Quàm nunc ingenuè Soboles hæc Sancta fatetur.
Nocte dieq; Tibi Custos, defensio tota,
Et Pater ex genito factus tua Sceptra gubernat.
Altos seû precibus Cælos afflicta fatigas,
Siue ex Othomano Victrix generosa triumphas:
CANTIVS, & gemitus audit, lachrymisq; medetur,
Et precibus promptas ex Alto porrigit aures,
Et Palmas didicit Lechicas augere per oras.
Hinc Vrbem Craciam volvit, Regniq; medullam
Manibus ille suis, Sacratam, & fædere junctam:
Vt posset citiùs Nostris succurrere Votis,

 Spiriti-

Spiritibusq; Patrum, Vitam deferre perennem.
Inuictum bellis, Regem fortemq; IOANNEM,
Quando per immensum celebari conspicis Orbem
Sarmata; gratus eris Nostro, Diuoq; IOANNI.
Pannonicis campis Regem defendere Magnum
Suscepit; rutilans Regali vertice sidus,
Præsule seû digno nunc Sancta Ecclesia fulges,
Atq; hodie Cathedram Craci moderante IOANNE,
Ex superûm sensu gaudet, tua præmia CANTI!
Seû docto cætu Pallas dotata Virorum est.
Omnes Te recolunt Votis, ô Diue IOANNES!
Fausta Tibi Musæ nectunt sub Apolline serta,
Aurea diffundens Orator, flumina suadæ,
Gemmiferi, gaudet, Dominum Te littoris esse:
Ingenium ad Plantas volvit stagyrita beatas;
Ipse Theologicæ molis qui maximus Athlas
Esse cupit, Sacris per Te suffragia poscit
Votis & lachrymis. Seû totus confluat Orbis,
Intima perfacilis propôsta in gaudia soluet,
Atq; locum sacri tumuli pro Numine habebit.
Hinc ego florigero tutus cæptoq; labore,
Omnia, polliceor, rebus, quòd prospera Nostris,
Tu dare non renues; omnis quo Gratia spirat.
Te socium vitæ, Nostri MICHAELIS habemus,
Ejusdem socium retinet nunc gloria Cæli,
Participemq; Tui GIEDROIC, sociumq; docentis
Ipse DEVS, fecitq; simillima Virtus
At verò vt vigeant palmæ laurusq; sophorum,
Concordes animo obsecramus Teq; DEVMq;:
Qualitèr adfueras menti socius MICHAELIS;
Sic etiam Nobis maneat Tua Gratia præsens:
Vtq; Domus Sapiens, Cracijs fundata Camænis
Floreat, & superos fastigia tollat ad ipsos:
O Pater esto basis fundamentumq; perenne!
Te super vt residens longisima sæcula vincat.
Porrige Tu palmas, Tu cunctis esto corona,

Cordi-

Cordibus è Nostris meliora fer obsecro serta,
Porrigis ô quæ nunc! post hæc ea præmia præsta;
En modò Palladias laurus, simul omnia Nostri,
Præmia Curriculi sacri Tibi fædere jungens,
Dum claro Tumulo palmas appendimus omnes:
Nos quoq; mancipia esse Tibi fac Maxime CANTI!

Secunda Panegyris gratitudinis.

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. IOANNI MICHALSKI,

S. Th. D. & Professori, Præposito S. FLORIANI, S. GEORGII in Arce Cracouień: Custodi, Scholarum Nouoduorsci-anarum Prouisori, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

PROCANCELLARIO DIGNISSIMO.

SI licet indocto, doctas attingere Musas,
Scilicet ad solitæ, surgere plectra lyræ.
Dilectas tentare fides, carmenq; repôstum
A modò Pierijs sunt mihi vota modis.
Eloquij nunquam potui sperare Catenas;
Queis celebris vates verba ligare solet.
Cura mihi fuerat sacris vestigia Christi
Passibus, vt multùm sint imitata meis.
Assiduè precibus pulsare gementibus altum,
Hoc opus insomni nocte dieq; mihi
Harpocratis legum studioso; plurima paucis
Semper erat munus, claudere verba notis.
Non ego Castalio Musarum potus ab amne,
Nec sonitu Cytharæ doctus Apollineæ.
Iam tunc en cogor metris effundere Gangem,
Et quidquid vatum flumina sacra tenent.
Seû sint gemmiferi pretioso littore fontes,
Conueniet rebus gemmea gutta meis.
Nunquam deficiens Aganippe sit mihi præsto,
Musarum sedes, deliciumq; lyræ.
Hanc etiam calamo totam absorbere liceret,
Vt fluido possem, magna referre stylo.
Talibus at vereor, nè post hæc obruar vndis,
Dum veniet magno, fundere metra viro.

Intima

Intima fac totum spirent præcordia Phœbum,
Et videar Musis, redditus esse meis,
Versibus emeritum nomen celebrare MICHALSKI,
Haud dignus tanto, dicerer esse viro.
Viuida nam melius celebrant Te sæcula metris,
Ipsaq; sub tanto, nomine fama gemit.
Tu virtute Tuâ, Tu laudibus, atq; stupendis
Dotibus ingenij Barbita nostra moues.
Theologûm gemma es Tu Musis omnibus vna,
Verior & nostræ Tu bona causa lyræ.
Tu Cytharas omnes, Tu pectora cuncta fatigas,
Ad laudes passim doctaq; fila, tuas.
Hic ille est stimulus, sacer hic, (quo pergimus) ignis,
Hoc decus, hæc calami, venaq;, visq; mei.
Culmen Doctorum celebraris Maxime Doctor,
Tu potior Stoæ, Tu sapientis amor.
Græcia se totam, meritò quoq; Stoa perennis
MICHALSKI, docto pectore clausa stupent.
Hic Arethenq; Sophonq; suorum hic agmina sistam,
Omnibus his magnum, Te precor esse Ducem.
Laurigeræ Sobolis Tu Author, nostriq; laboris,
Vt carum ante iubar, sic modò summus honor.
Hactenus ad palmam multùm sudauimus omnes,
Atq; sub auspicijs fas erat ire tuis.
Sed iam dulce melos resonent Tibi plectra necessum est,
Sic vbi Palladio cesset arena choro.
Non nostrûm fuerat sapientûm condere molem,
Nec non Palladiam hanc ædificare Domum!
Angulus est per Te molis coniunctus vterq;
Sic Diuûm atq; hominum, culmen opusq; stetit.
Tu robur fueras dubijs, Tu errantibus ipse,
Dux, nec non faustos addideras animos.
Hinc insueta animis veniebant robora nostris,
Mens benè sic ceptum perficiebat opus.
O bene Palladij sublimia Numina cœtûs,
MICHALSKI docto, pectore fixa manent!
Quidquid enim Peripatus habet, Stoæq; docentûm,
Maxime Vir tantum, pectore claudis opus:
Metropolimq; Domumq; sibi sapientia fixit,
Gaudeat vt semper nomine digna Tuo.
Et meritò. Tibi enim tanti sunt totq; labores,
Queîs super Herculeum Numen abire licet.

Orbis Academici spem nec non gaudia portas,
Diuorumq; iubar, Sarmatiæq; decus.
Magnatum virtus, & dignum Præsule pectus.
Delicium, nec non, omnibus vnus amor.
Hinc meritùm Pater., atq; PROCANCELLARIVS idem,
Palladio toties, agmine cinctus eras,
Doctores etiam faustus doctosq; creando,
Iam vice nunc ternâ grande creabis opus.
Vnde Tibi sacrata volo Vir Maxime, siquæ
In nobis tanto nomine digna manent.
Palmas Doctorum, cordis nostriq; medullam
Consecrata Tibi, munera semper habe.
Quidquid enim tanto volumus conferre labori,
Quo nobis largus, sed Tibi parcus eras.
Cuncta velut nihilum, iustè reputanda videmus;
Nam Tibi de nobis maxima cura fuit.
Taliter haûd curat lactans sua pignora Mater;
Vt Tibi de nobis sollicitudo fuit.
Nunquam Te potuit retinere iniuria Cæli,
Imbrifer & nunquam terrificauit aër.
Seû gelido Boreas spirabat flamine brumam,
Non potuit ceptam præpediisse viam.
Seû vires fregit, multùm veneranda senectus,
Maior nostri, quàm cura salutis erat.
Audijt & stupuit posthæc flagyrita docentem,
Nec potuit verbis promere digna Tuis.
Ardua dum soluis, dubitanti arcana Sophorum,
Clariùs his tenebris, sole micante micas.
O quibus hic ergo celebrandus laudibus esses!
Ni meritis pondus, gloria viua foret.
Sed quoniam Tu ipse es, sapientis gloria laudis,
Ipse Tibi carmen, dulce melosq; canis.
Laudibus his taceat, mea non benè consona Musa,
Laus sibi MICHALSKI, Gloria & omnis honor.
Et licet ad solitum properent iam carmina finem,
Fine carens nostri gratia cordis erit.
Quinq; & viginti iam Annis probus esse sacerdos
Gaudes, nunc totidem nos Tibi vota sumus;
Hos annos iterum, atq; vltra bone viue sacerdos,
Longæuus Nestor, dignus honore Pater.
Iam verò Angelicum quoties sacrauero Panem,
Et Dominum Cæli, corde manuq; feram,
Supplex grata Tuis benefactis munera fundam,
Fiat pro meritis, vt Tibi Palma DEVS.

Tertia Panegyris profundæ deuotionis.

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,

Et Admodùm Reuerendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo, Excellentissimo, & Admodùm Rndo Domino,

D.M. MATHIÆ BROCKI,

Collegæ Majori, Regio Professori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Canonico, ac Interea Philosophicæ Facultatis

DECANO.

Clarissimo, Excellentissimo, & Admodùm Rndo Domino,

D. M. RAPHAELI ARTENSKI,

Collegæ Majori, S. Th: BACCALAVREO, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonico.

Clarissimo, & Excellentissimo Domino,

D. M. IOSEPHO WISNIOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Geometriæ Ordinario Professori.

IAm vos hæc potiùs Pierijs manet,
Desponsata viris, cura laboribus,
Musæ Castaliæ culmina gloriæ!
Vasti diluuium maris
Vltra pacificos fundere terminos;
Non guttis modico fonte cadentibus,
Sed toto potiùs iam obruere impetu
Orbis climata gloriæ.

Seu

Seû primò exoriens Phæbus in ignibus,
Seû longè medijs clarior æstibus,
Seû mersus vitreum transiliet mare,
Raptus flammigeris equis.
Iam nomen Lechiæ concinat inclytæ,
Et Stoam celebret sarmatici Poli,
Nec non Sidereos ingenio Viros,
Aptis curribus euehat;
Qui nunc terna chori Sidera Olimpici,
Et docti fuerant pulueris Arbitri:
Non humana Trias, sed superûm bona
Nostris agminibus data.
Sic vos Sarmaticæ, corcula Palladis,
Nec non laurigeræ militiæ Duces,
Dignis concelebret, laudibus Orpheus
Scribens gloriæ adoreas.
Nobis Officio censor idoneus,
Nec non mox Pater est, quilibet omnibus,
Largo & mellifico nectare perpluens.
O quam Sidera Laureis
Nostris intima tunc sensimus intimis!
Torrens aureus hinc, mel rigidum os fuit,
At post hæc iterum melleus est rigor,
Doctrinæ hæc methodus fuit.
O sacri nimiùm Symbola Iudicî!
O faustæ Triadis, Ternio pectoris!
Doctis quo nihil est, altiùs exedris
Et nobis melius nihil.
Hyblæis apibus flos placet haûd ita,
Vt grati Eloquij nectare dulcis est,
BROCKI, purpureis, Præses honoribus,
Et doctæ Cytharæ decus.
Seû præstans animo, seû socialibus,
Gemmis conspicuus, luceq; Iaspidum,
Ex vtroq; micat, mille nitentibus
Clari nominis ignibus.
Nexus Gordius est, in Cathedris sophûm,
Vt voluens dubium, sic referans idem,
Nunc est difficilis, nunc facilis patet,
Doctorum Arbiter optimus.
Primus laurigeri, protinus Ordinis,
ARTENSKI Pater es, inclytus omnibus
Cuius pectore quæ clauserat abdita,
Doctrinæ sapientia,

Nostris

Noſtris contuleras mentibus omnia,
Nil eſt gratiùs, & nil Tibi ſuauiùs,
Quàm nobis ſtagyræ dogmata pandere, vt
Fias omnibus omnia.
Præſtans eloquio flumen ab aureo,
Dicentûm ad numeros, maxima Regula,
In Templo Domini, gemmiferum iubar,
Doctrinâ pietateq;.
Quis tantis fuerat Numine proſpero,
Quis plenus ſuperûm (dicite) gratijs?
Proq; illis etiam congrua, quis dabit
Præter munera pectoris?
WISNIOWSKI nitido, ſidere clarior,
Immortale decus, floſq; mathematûm,
Alter ſol rutilans, ingenio fuit,
Verè lumine candido.
Nodos qui fuerant Herculei prope,
Soluis per facilis: Tu penetralia
Doctrinæ reſeras, mente facillimâ.
Summis ingenio viris
Par. Cælis etiam cognitus inclytis,
Præclari eximijs viribus ingenî,
Clarorum penetrans intima Siderum, &
Arcana ætheris omnia.
Cerne alto hoc recolens ſarmata pectore,
Quantis WISNIOVIVS conſtet honoribus!
Qui extat Sarmatiæ, finibus omnibus,
Et celſo meritus Polo.
O Vos perpetuæ Nomina gloriæ!
Quis dignè celebret pectine carminum?
(Quos magnis recolunt ſidera laudibus,)
Quis laudare hominum valet?
Et ſi mellificus tanget eburneâ
Dextrâ, dulciſonam Threicius lyram,
Et dulci modulus, dulcior Orpheo,
His non ſufficiet viris.
Magni laurigerorum, atq; domûs Patres,
Hi ſunt, quos hominum, quoſq; Deûm Parens
Electos voluit, nunc ſapientia,
Vaſtæ munera gloriæ
Vobis noſtra Domus, quàm fuerit diu,
Hinc deuincta manens, vt Patribus ſuis;
Viuis pectoribus, pro parietibus
Vtens: Nomina ſculpere

Auro veſtra cupit, non fluido ſtylo.
Cernat poſteritas, ſæclaq; perlegant,
Grati pectoris hæc Symbola maximæ
Cor votum eſt Patribus Domûs.

I. V.D. FRANCISCO IWONIECKI.

Mundus Cruce ſignatus, in medio eius corona, cum Sceptris.



Lemma. Primus hæc præmia portat.

MEl'eum nobis remeâſſe flumen,
Dixeram, quando fluidum per ora
Nectar effuſo referebat amne,
Lingua IWONIECKI.
Sideri charæ documenta vitæ,
Siue ſupremum reſonans Tonantem
Dulcior Cygno, Ambroſio locandus
Ore ſecundus:
Siue iam rurſus placeat profanis
Artibus, celſas docuiſſe mentes,
Tullios linguâ, Cyneas diſerto
Nectare vincit.
Hunc ſibi vellet ſtagyrita myſtem,
Hunc ſuum docti recolunt Periclem,
Hunc ſacras poſcit ſibi per Cathedras
Gloria fandi.
Vnde ſit laudis decus eruditæ,
Orbis vt virtus generoſa creſcat,
Nomen vt pulchrum celebret Poloni,
Laurea Phœbi.
Munus hoc Princeps, ſimul ac potentes
Præferunt Reges: Tibi nunc id ipſum
Ferre, concedens Iagelona Pallas,
Signa perennis
Gloriæ pandit, pariterq; ſacro
Agmini noſtro dare laureatum,
Te ducem fauſto voluit locare
Nomine primum.
Ergo iam tanto radians honore,
Viue longæuos ſine nube ſoles,
Palladi doctæ noua gemma, nobis
Ordine Princeps.

III. V.D. CASIMIRO PROKOPOWIC.

Alæ Aquilinæ duæ sursum erectæ



Lemma. His altiùs alto.

A*Scende cælo proximus Inclyto,*
Ascende magnis viribus ingenî,
En culmen ad quod tu vocaris
Altius est Aquila volante.
Honor stagyræ, Palladium decus,
Tuæq; Mystes quando scientiæ,
Lauru coronaris secundâ,
Atq; micas nitido togati
Candore Solis; purpureos Tuæ
Agnosce vultus mentis, & aureum
Pectus, refulgentisq; latè
Sis Aquilæ generosa proles.
Lux sacra Cælorum, & sapientiæ
Te duxit omni; tum altiùs alite,
Arcana scrutaris sophorum;
Quando oculo sapiente cordis,
Te stoa dicit solis amabilem,
Pullumq; nidi Te Iagelonici
Vult esse verum, sempiterno
Iure vocat retinetq; nexu.
Vix fortè tanti dotibus ingenî,
Natura quidquam fingeret aptiùs,
Vt PROKOWIC, cuius alto,
Ingenio stagyrita gaudet.
Alis refertum candida veritas
Vult Te æmulantem, culmina siderum;
Cùm dat Tibi sublime pignus,
Fac super astra locato sedem.
Ergo ter Almus macte animo tuo,
Iam perge faustâ ductus ab alite
Axemq; Cæli, illum teneto;
Quo Genii resident beati.

IV. V. & Admodùm Rndo. Dno. AVGVSTINO SVRIO Ordinis Candidi Præmonstratensis.

Lilium Album super quod Crux:



Lemma. Cælesti semine natum.

PVlcher curriculo Victor Olimpico,
Hôc semper niueo Candor ab Ordine
In nostro residet sangine SVRIVS,
Cætûs florigeri decus.

Cælesti fateor semine germinans,
Nobis adueniens Candidus integer,
Multi causa manet maxima gaudij,
Verus candor & Angelus.

Seû dotes genij mente reuoluere,
Seû nectar fluidi dulce Demosthenis
Fas est, jam nihil est cernere terreum,
Quæuis proxima sunt Polo.

Haûd Virtute tua clarior est Plato,
Non Verbis Cyneas dulciùs effluens,
Musis gratus olor suauiùs hâud canit,
Doctus nec melior Sophus.

Sanctorum potior forma tibi immanet,
Exemplar, pietas efficiens sui,
Illæsum voluit pectore candido;
Sic illi vt fieres Icon.

Nos exempla foris quærimus; at Tibi
Virtutis specimen, luxq; scientiæ,
Necnon omnigenæ Sidera gloriæ,
Arrident placido Polo.

Vnde est magna meis vis ea pectoris,
Vt tu liligero Candidus Ordine,
Omni permaneas tempore floridus,
Pulcher fasciculus DEO.

V. V. & A. Rńdo Dńo ALBERTO LECIEWIC. Congregationis, Oratorij Gostinensis Instituti S. PHILIPPI NEREI Præsbitero.



Supra Lunam tres Crux. Stellæ, in medio

Lemma: Hâc me in astra. diâ ipsa transibis,

OMni quòd niteas lumine pulchrior;
NamSancti Patris vt bonus

In cætu Nerei Cultor idoneus;
Eius Lucifer inclytus,

Ardes perpetuis ignibus æstuans,
Vt summum Orbis in Arbitrum

Christi æquè in populum, sanguine conditum;
Exemplo pietateq;,

Semper lucidus es, sic sibi & omnibus,
In te Maxima lumina

LECIEWIC resident; lux sapientiæ
Vna, ast altera par ei

Sancto digna manens, effigies Patre.
In Te Arcana scientiæ,

Stellarum radiis tersiùs omnibus
Solariq; suâuiùs

Vultu Iudicium stagyritæ fuit:
Ad perlucida Siderum,

Pertingentem animi culmina vertice,
Omnes vidimus haûd semel.

Quod Diuina Tibi Stemmata nuntiant,
Iam nunc ocyùs accipe

Cælestis Nerei Filius & iubar,
Sacratæ columen domûs.

VI.

VI. V. D. STANISLAO PVTOWICZ,



Cor cruce signatum.

Cum Lemmate: Sic corda triumphant.

TVrmatim currant prisci monumenta triumphi:
Antiquæ surgant iterum Capitolia Romæ:
Inde trahant currus Elephantes; inde Leones;
Hinc stricti veniant arctâ sub compede Reges;
Quêis vehitur Cæsar toto Dominator in Orbe:
Hi iuga fortunæ cuncti perferre tenentur;
In seruos abeunt modico splendore subacti:
Ast vbi Romuleæ dices Capitolia Gentis?
Et Regum celebres vbi sunt, hucusq; Triumphi?
Rudera vix extant inimico tempore fracta,
Et vapor ex magni remanet vix nomine paucus;
Qui dum Orbi superest, hominumq; vagatur in ore;
Hoc docet, vt nôrint, quòd nil sit gloria mundi.
Ergo beatior est longè PVTOVIVS inde,
Dicens quòd meliùs Cruce sancta corda triumphent:
Huîc canto modulus, canto nunc Io Triumphe!
Qui sic laurigerum æternum facis esse triumphum:
Æternùm dico viuet, flos pectoris Iste,
Quem Crux protegere, & sapientia prompta fouere est.

VII. V. D. SEBASTIANO GDOWSKI.



Tres Lunæ.

Lemma: Claræ inuicem micant.

Quando

Quando luciferum conspicio Polum;
Et rursus tenebras intueor malas:
Solari inuenio, à luce dies micat,
Et pellit tenebras Cynthia noctium,
Stella cum radiis vtq; nitent suis:
Lucent innumeris disposita locis,
Vt castrorum acies, millia millibus:
Sed sol solus adest, vnica Lunaq;
Hic de mane praeest: noctibus imperat
Luna, & mox video, sufficit vnica;
Vt partes teneat, solis in Orbibus.
Ast dum laurigerum conuenio Polum,
Et docta aspicio lumina sideris,
Iam tunc conicio mente sagacior,
Vnum quód satis hic, non valeat iubar;
Nec Sol vnus ibi est, luna nec vnica
Omnis lucet vbi, soleq; clarior,
Et Lunam superat lumine viuido:
Hinc causam inuenio cur Tibi sint tria
GDOWSKI Cælituum lumina candida:
Nempe has pertinuit sidereo prope
Lunas ingenio, tunc dare tres tuo:
Dum sublimior hinc Palladio Polo
Doctorum radiis mille serenior,
Es Matri placidus, sic sapientiâ.

VIII. V. D. IOANNI ADAMOWSKI.

Sagitta sursum tendens.



Cum Lemmate: Sic proxima Cælo.

ORbis delicias; quis precor abditas,
Terris quærat opes; quæ stygio prope
Irritando oneroso
Insigunt homines vado?

Quæ

Quæ fortuna regens, condita tristibus
Conseruanda dedit, manibus hæc homo
Intrans Ilia terræ,
Quærit mille vafer modis
Heû auri cupidus transit ad intima
Terræ! confodiens omnia viscera,
Ac vnquam satis illi est;
Plus vult, dum abdita montium
Intrat: nec Pelagi fluctibus horridis
Terretur, nimiùm parq; furoribus
Euro, tum mare tendit
Nec mortis rabiem timet.
Persæ diuitias, atq; Arabum penu
Quærit cum pretio, pulchra decoraq;
Ornamenta sibi, quæ
Pauco tempore seruiunt.
O longè melior, sorteq; prospera
Est ADAMOVIUS! nempe beatior
Illis; queîs aliunde
Fortunæ decus aduenit.
Quem Patrita nimis stemmata lucidum,
Virtus verior, & cum sapientia
Declarant: Polus ipse, &
Laudes dat meritas sophus.
Nunquam sic Adamas, lux quoq; Iaspidum,
Ornamenta valent, ferre petentibus;
Quàm te Luna, sagitta,
Antiquis radiis iuuant.
Hoc iam quando Tibi pro meritis datur
Nunc ADAMOWI habes tu prope; quod fori
Multi non bene quærunt:
Virtus, omne Tibi est decus.

IX. V. D. PETRO SIENKIEWICZ,
Seniori Scholæ SS. Omnium.

Fascia ex foliis Palmæ



Lemma. Rumpi nec morte nec vnquam

Pecto-

PEctoris emeritum docti, consigno laborem,
Et calamo promptum celebrare:
Dum Ingenium cupio, res hac occurrit, & ipsa
Te metris celebrem dare suasit:
Sed frustra in laudes versu contendere, & illum
Reddere laudatum bene metris;
Quem sua fama sacro recolendum munere poscit,
Symbola candori dare parua,
Non nisi cum venia possum. Nunc audio laudes;
Quas peragit viuens tua fama.
Et si vera licet Nostro candore fateri,
Per Te Arcana sophi reserantur;
Atq; patet pietas generosâ fronte manere,
Stoa delicium sapientis
Ergo perennet idem; rumpi nec morte nec vnquam,
Quod DEVS adiunxit, patiatur.

X. V.D. IOANNI CHRYSOSTHOMO RVCIENSKI.

Crux inter Cornua Cerui



Lemma. Cedunt his fata duobus.

NVnc bene RVCIENSKI regnas, dum fata duobus
Cedere cuncta iubes,
Cornibus ac IESV; sat enim cornutus & ille
Vepribus in capite.
His cedunt tenebræ, cedunt & noxia; nescit
Cedere sola salus.
Armiger hic quis adest, hic ista per arma triumphat,
Hoc sine victor erat
Nullus. Tu verò ipse fidem præstabis vbiq;
Victor Olimpiaci
Pulueris; & victor magnorum, magne laborum
Tu mihi testis eris:
Palladiâ lauru celeberrimus ecce triumphas,
Præmia laudis habens,
In facie doctâ toties orando disertus
Suauiter exiêras.

Nunc etiam exornas Stagyræum sine laborem
Dotibus ingenij.
Dic mihi tunc animos, viresq; quis auxerat omnes?
Crux nisi Stemma tuum.
Hæc lux in tenebris, hoc fulcrum grande laboris
Ingenijq; fuit.
Perge proinde omni, sic victor parte beatus,
Ardua vincediu;
Doctâ mente micans, Cynosurâ clarior omni,
Eloquioq; iubar.
Parthenias vincis fidibus resonando Camænas:
Amphionis ope
Iutus, Apollineo, tangendo barbita plectro,
Carmina dulcè canis.

XI. V.D. ALBERTO KOZINSKI.

Leo, in cuius ore Examen apum:



Lemma. Et dulcia fortibus insunt.

HErcules olim spolio Leonis
lectus incessit; superâsse monstrum
Grande testatus, referensq; magni
Signa triumphi:
Samson ingenti lacerauit ausu,
Horridas fauces, meruitq; nectar
Dulce gustare, & memoranda casi
Mella Leonis.
Fortibus gestis, sua nempe cedit,
Grata dulcedo; quoties triumpho
Vincit inuicto, generosa Virtus
Ardua rerum.
En fauos dulces apibus repandit,
Seruat examen Leo delicatum,
Mille dum fundit, Tua Suauitates
Suada KOZINSKI.
Pectus inuictum labor eruditus,
Armat; & Vires genij togati,
Stoa per doctas cathedras trecentis,
Laudibus vrget.

Atticus riuis tibi de beatis,
Dulcor exundat; quia Cantiana
Est tibi dulcor Patria; Laresq;
Numine digni.
Flos apes nutrit, Tibi Diuus ipse,
CANTIVS flos est, trabe gratiarum,
Flore de tanto, benedicta sacra
Munera Vitæ.

XII. V.D. ALBERTO FRANCISCO IVRKIEWICZ.

Galea Laureata.



Lemma: Post bella Laurea Phæbi.

BEllica si virtus, multum veneranda Gradiuo,
Belligeros mucrone viros, exornat honore;
Aût si Mars toruus, rabido metuendus in ense,
Hectoribus virtute bonis, encomia confert:
Distribuit meritis longè meliora suismet,
Præmia militibus, Galeata Minerua Licæo;
Sub cuius signo remanes, vexilla sequendo
Illius, dicata Ioui, Phæboq; sacrata,
Candide IVRKIEWIC, fortissime Palladis Hector:
Eloqnio Cyneam superas, grauitate Periclem,
Dexteritate Sophron, Lysiam sermone venusto
Vincis, & excellis facunda Demosthenis ora:
Mellea cum palmis oritur de pectore suada;
Stoa verecundo subtilis in ore resedit:
Ac quoties orans depromis verba disertus,
Aût facis ad populum sermones auribus aptos;
Ex verbis toties oritur facundia grata:
Palma triumphalis, nec non Tibi Lilia corde
Crescunt Laurigero; surgunt in tempora Laurus:
Pectora dira moues, iaciens non ferrea tela,
Dulce sed Eloquij jacularis missile telum;
Aût ad subtilem, faris ratione, Stagyram.
Lauriger assurgis, niueo candore triumphans:
Enitet insignis pietas in pectore sacro,
Erga Diuorum Cineres, & Lypsana CHRISTI:
Apparet Virtus in Te, Triadi peramanda supremæ:

Apparet

Apparet probitas, magno jucunda Tonanti,
Ergo Phæbigeniûm felix mereare triumphos:
Apponat Galeam Capiti doctissima Pallas,
Quam post bella Sophi, decorauit Laurea Phæbi.

XIII. V. D. ANDREÆ SZAFAŁKOWIC.

Duæ manus contra se armatæ.



Cum Lemmate: Sic æmula Virtus.

NOn est magnanimi gloria pectoris,
Si Virtus careat fortior æmulo;
Conflictus animos laurigeros probant,
Dignas sumere adoreas.
Felix illa manus, quam manus altera
Exercet meritis. Hesperiam nisi
Pœnus cum Libycis gentibus, arduo
Martis sterneret impetu;
Nunquam Scipio tot Punica, caduis
Vicisset, superans prælia casibus;
Carthagoq; potens, Principis æmula
Nescîsset iuga Romuli.
Certamen lapis est Lydius ingenî
Mens Heroa Tibi; quale SZAFAŁKOWIC
Concessit studio Palladis; Vt labor
Te non vinceret æmulus.
Poscebat Stagyra per Cathedras Virum,
Te vis docta Sophum, viderat inclyta,
Cum virtute parem, sæpeq; dotibus
Applausum dederat Tuis!
Poscebat Latij flexanimum decus,
Et suadæ facilis gratia; Tu nitor,
Tu flos eloquij, Tu merus Attici
Fando, roris eras sapor.
Hinc creuêre Tibi munera Palladis,
Ex vtraq; manu; Victor ab æmula
Hinc Lauru veniens, viue beatior
Per fastigia maxima.

XIV.

XIV. V.D. ALBERTO CASIMIRO PACZYGIEWSKI. Seniori Scholæ B. M. V. in Circulo Crac.

Rosa cordis, in medio ejus duæ claues.



Lemma : Harum custodia mira.

FLos Tibi purpureus, Regali murice tinctus,
Musarum roseâ, venit ab vsq; manu;
Floribus Hyblæis cùm sit dignissima cingi,
O PACZYGIEWSKI, suada diserta Tua.
Tu cor junxisti roseis cum floribus, atq;
Hîc geminas claues, cerno patere Tibi.
An Tibi cor roseum? sed certè suada rosetis
Plena verecundis, totaq; pulchra rubet.
Audiîmus toties, & flores vidimus; in Te;
Cûm Tibi Pæstani claruit ore rosa.
Nec calamus sine flore Tibi; qui vernat, & Orbi
Purpureos sensus, doctaq; scripta dabit.
Cor reserant claues: nam cor Tibi candida seruat,
Integritas, alijs quæ reseranda patet.
Sed geminæ claues fors pectora nostra resignant;
Dum tua Nos suadæ gratia, visq; rapit.
Pandimus ecce Tibi reserati Viscera cordis,
Dotibus eximijs plaudimus ingenij.
Ornent Te Musæ, Pallas Te docta coronet,
Tu nostros animos aurea clauis habe.

XV. V.D. MICHAELI NYCZ.

Tres Coronæ aureâ catenulâ ligatæ.



Lemma. Vnus pro- meruit omnes.

VIrtutem comitatur honos, vt gloria factum:
Hæc duo præcedunt, illa sequuntur opus.
Præmia iusta manent meritis, pretiumq; labori,
Hæc est eximiis, portio sorsq; viris.
Hinc bene florigero iam gaudet Apolline sertum,
Et bene cum serto pulcher Apollo suo.
Bellonam Laurus ornant; & palma cruentum
Martem, purpureo sanguine tincta decet.
NYCZ Tibi tres video Pallas vult esse coronas;
Cur ita? quisuè Tibi præmia tanta dedit?
Porrigit en causam Mater doctissima Stoa;
Ex qua tres omnes, te meruisse patet.
Dum eloquiumq; Sophumq; in Te videt atq; Mathesim,
Ætatem, dotes has superesse putat.
Addit Apollo iubar, necnon fert Orpheus ipse.
Laudibus ingenuis, dulcia mella Tuis.
Debuit vt constat multum natura dedisse:
Adfuit & Stoæ sors Tibi multus amor.
Donec ita instructum medium produxit in Orbem,
Atq; sui testem, Te dedit Artificî
Delicium Musæ flagyræi gemma decoris:
Dexteritatis Icon, Palladiumq; decus.
Candorem niueo vultu fers, atq; pudorem
Ex docto genius crederis ingenio.
Ergo Coronarum maneant Tibi Symbola terna,
Et doctum exornent munera sacra caput.
Ast vbi tu fueris super hasce - Corona - Coronas
Vltima fac Tibi, sit summa corona DEVS,

XVI. V.D. VALENTINO LIPOWSKI.

Columna Laureata, super illam Corona:



Lemma. Maiestati, & ponderi.

VIctor ad Herculeas tendis penetrare columnas:
Quando triumphales nectit Tibi Musa coronas;
Ad quas emeritus generosis passibus ibas,
Oceani tranando sinum, scyllasq; latrantes.
Erigit ex olea sublime Minerua Trophæum,
Victoriq; locat celebrem, celsumq; colossum,
In medio Musæ campo, & florentibus aruis:
Cûi affixa manet crescens super æthera laurus;
Quæ decorat sublime caput, pectusq; sacratum,
LIPOWSKI Generose Tuum comes inclyte Musæ.
Ingenij genuina Tui, suadæq; venustæ
Maiestas, orisq; décus vernantis amænum,
Emeruit Laurus virides, palmasq; Mineruæ.
Pulchra proinde Tibi fabricatur in Orbe Columna,
Quam nunc Craciacæ decorat sacra laurea Musæ.
Hinc audax celebri, *Plus vltra* scribe colosso
Cûi opus, innixa vt maneat Tua fama superstes.
Nomen per Terras Lycini marmora clament,
Atq; suum faciat florere Stagyra Nepotem.

XVII. V.D. & A. Rñdo. Dño. FABIANO ROSZTABINSKI. Parocho in Osiek.

Cedrus sagittâ transfixa.



Lemma. Diuturnitate perennis.

Immor-

IMmortale Tibi nomen, Cedrosq; perennes
Dilecta cælo contulit scientia;
Quæ Te laurigero decorat cum Pallade dono,
Spondetq; vitam Nestoris per secula:
Nempe Cedrus viuax nullo corumpitur æuo,
Edaxq; tempus vincit, & ridet grauem
Annorum seriem, cælo dignissima tolli,
Altasq; nubes de Libano tangere
Hanc tamen ecce Tua transfixit mucro sagitta,
Hæsitq; fibris arboris telum minax.
Non est hæc Scythicis vel Mauri rapta pharetris,
Sagitta, grando nec Scylluri ferrea:
Ingenii sed culta tui, pernixq; volando
Sagacitas; quæ per sophum subsellia
Labitur vt victrix, ipsam cordiuq; medullam,
Petit disertæ viribus facundiæ.
O ROSZTABINSKI quàm Te dilexit Apollo!
Qui Te Sagittâ censuit dignum suâ:
Vt Cedros vincas, superes quoq; pectora docta,
Figensq; corda mentium aurea,
Intus quæ penetret, quæ vulnus dulce sagittæ
Infigat, vt saluet, DEVS quos eligit.
Ergo perennantes referant Tua Nomina Cedri,
Auroq; dignus, ingenî dotes tui
Inscribas auro; fastisq; loquentibus olim
De Te: sit vna Cedrus, & sacer Tibi
Terminus, atq; Tua celsissima meta sagittæ,
Cor, & Corona, finis omnium DEVS.

XVIII. V.D. IACOBO BIENKIEWICZ.

Serpens Coronatus.



Lemma: Ornat prudentia semper.

Vidu-

VIctura Cælo Nomina, qui cupit
Inferre; mentem ſolis ad Aureos
Componat ignes; vt nitentem
Interiùs ferat Ipſe vultum.
Et erudito Lumine ſic Tibi
Anguis Corona, fulget in Aurea,
Caputq; BIENKIEWICZ coruſcis
Luminibus, generoſus infert.
Prudentis hoc eſt Nobile pectoris
Pignus; quod alti nominis aureas
Dotes requirit; quas Beatâ
Sorte, Tibi dedit Alma Pallas.
Tu Laureato clarus in agmine,
Doctæq; mentis, Tu Cytharam manu
Tangis coronatâ, meloſq;
Dulce Canis, reſonante Pindo.
Lucet beatus Sol Tibi mentium,
Et eloquentis gloria Tullij,
Fauentq; Muſæ; gratiarum
Quando Tibi fauet eruditis
Laurus corymbis. Sis igitur Domûs
Columna Muſæ. Sis jubar aureum
Feraſq; doctis fulgurantem
Palladio ſuper Orbe ſolem.
Minerua prudens, & Sapientia
Tuo reſedit pectore candido;
Vt ſuada Lechæum per Orbem
Eniteat genuina claré.
Serpentis hujus Symbola myſtici,
Dotes virorum Nobilium docent:
Queis Tu decoratus refulges,
Ingenio ſuperûm nutritus.

XIX. V.D. ADAMO BANASZEWIC.
Seniori Scholæ Sancti Stephani.

Gladius Laureatus.



Lemma: Vtriſq; Viribus auctum.

Campis

CAmpis Pharſalicis quid gladius ferox
Magni Pompeij fecerit; & prout
Sciuit ſoluere Gordium
Nodum, Macedoni belligero viro;
Qui quæſitus erat: quàm procul illius
Terris imperium patet?
Hic (inquit) gladius quò penetrat meus.
Scimus BANASIEWIC quid valeat tuus
Enſis Palladiæ manûs.
Quàm dulci penetrant cuſpide Viſcera
Muſæ! quàm celeri Palladis impetu
Nodos difficiles ſecat!
Si poſcis Cyneam melliſluum ſequi;
Qui gentis validos Argolicæ viros,
Dicendo ſuperauerat;
In promptu gladius præſto tibi ſubeſt;
Quo non membra feris, ſed potius Viros
Mulces pectore ſuauiter.
Si fontes fluidos eloquij cupis:
Præfers eloquio flumina Tullij;
Quæ dulci ore fluunt tuo.
Subtilem poteris vincere Lyſiam:
Viuax Ore Tuo ſuada Demoſthenis,
Gratis auribus influit.
Aſt & culta Sophi dogmata ſunt Tibi;
Quæ linguæ gladio ſoluis acutior;
Certando rationibus.
Pallas cuncta Tibi dona dedit Viro,
Ex vtriſq; Tuis Viribus Inclytis,
Auctus munere diceris.

XX. V. D. LAVRENTIO POLITOWSKI

Equus liber.



Cum Lemmate: Magnis animis.

EFfrenatus Equus quo graditur precor?
A freno liber, quare ſpatiatur in aruis?
Et quo tendit iter tramite libero?
At forſan fortuna ſuis aptare quadrigis,

H

Aura-

Auratoq; cupit jungere currui:
Curtius aût ex hoc Romæ descendet in antrum,
Cum quo prosiliit strenuus in lacum:
Aût in eo ceruos captare Dianna per auras,
Aût sacrata cupit quem Nemorum Dea:
Aût etiam forsan magnis animosa triumphis,
Virtus poscit Equum scandere præpetem
Sic est. Sola cupit celerem frenare juuentam;
Imponit suamet frena licentiæ:
Libera semper adest, vincit generosa superbos:
Elatis animo frena dat inscia.
Inclytæ POLITOWICZ sub signo Palladis isto,
En Virtus tuamet postulat hunc Equum;
Cuius non tantùm solidam quatit Vngula terram;
Sed suprema potest scandere culmina.
Quadrupedante sono gradiens in tramite liber,
Parnassi celebris Te vehit ad juga;
In quibus aurifluum posses reserare Caballum,
Et labris fluidis fundere carmina.
Te Tua, Parnassum, probitas conscendere mandat;
Nam Virtus in eo protinùs eminet:
Huîc aditus, quocunq; cupit, patet vndiq; liber;
Ex Virtute Tibi liber honos erit.
Digno Te Craciæ Pallas decorauit honore.

XXI. V.D. MATHIÆ CANTIO BOGVSŁAWSKI.

Columba cum Asciæ. Ramo insidens



Lemma: Laureatæ Nuntia pacis.

Montibus in Sanctis fateor residere columbam,
Diuinæ siquidem nuncia pacis adest.
Ecce Tibi portat cælestibus aduena Regnis,
Docte BOGVSŁAWSKI nomen & omen auis.
Auguriis volucrum, cælo sapientia fertur:
Auspicio faueat Musa sacrata tuo:
O quàm felici præsagia pectore sumis!
Ales dum celso sidere casta venit
Si post Deucalionis aquas mitissima ramum
Attulerat viridem, Noe columba suo.

Illi

Illi significans, cesâsse flagella Tonantis,
Cum populoq; suo fædus inisse Deum:
Sed Tibi laurigeros ales promittit honores,
Palladiam laurum casta columba vehens:
Alitis aurato fertur Tibi laurea rostro,
Et viridem palmam pulchra proboscis habet.
Fiat amæna Tibi fiatq; scientia Laurus,
In Te dum celebris Musa coronat eam:
Simplicis huius auis verè sapientia culta:
Exteriùs simplex, cultior intùs adest:
Non iucunda quidem specie sed corde polita:
Ingenio multùm docta columba valet.

XXII. V.D. IOSEPHO CZĘCZKIEWICZ

Anchora alata:



Lemma. vbiq; salutem.

INgens profundum fluctiuagi maris
Scrutatur alti gurgitis anchora,
Tutamen & victrix pericli;
Æoliis quoties in vndis
Neptunus iras mouit, & omnia
Tonante cælo miscuit: hæc rates
Furente, quassatas procellâ
Sola tenet, Pelagoq; firmat,
Tridente maior: nec Boreæ trucis
Mouetur vnquam turbine. Sed Tibi
Alata CZECZKIEWICZ volucres
Vnde tulit, meruitq; pennas?
An è profundis Oceani vadis,
Vicina cælo spes, sine pondere
Volare fecit? & secundo
Cæruleum per inane, passu
Ad summa ferri: scilicet hoc agit
Vis elegantis ingenii tui,
Plectriq; dulcedo Latini,
Et Cytharæ melos eruditæ,
Suadæq; victrix gratia melleæ,
Excelsa pennis, vtiuga grandibus
Orator, & vates, sophusq;
Iure petas, teneasq; culmen.

Insigne

Insigne honoris, sic basis est Tibi,
Præclara virtus, & solida Anchora:
Sic ibis ad portum secundum,
Ingenii meliore penna.

XXIII. V. D. STANISLAO KOCZOWICZ.

Phænix ad Solem.



Lemma. vt viuat æternum.

AVreo Phænix radiante Phœbo
Poscit extingui; redeat beatis
Rursus vt cunis, proprioq́ viuat
Edita busto.
Fert odoratas animosa frondes,
Fragret vt dulci Thymiama cultu,
Dum mori curat, reditura victi,
Mole sepulchri.
Ergo solares agitare flammas,
Prepeti penna, facit, & calenti
Soluitur busto, super eminentis
Vertice rami.
Viuit æternùm, sua fata certis
Innouans annis: Tua sic KOCOWICZ
Cara mens Phœbi, sapiensq́ virtus
Viuet in Orbem.
Palladis quidquid Tibi cura docta,
Ingeni cultu peperit beato;
Quidquid in Stoæ cathedra, erudito
Dogmate præstas,
Quidquid ex suadæ Latiæ rosetis,
Ore facundo tuleras disertus:
Viuet hoc tecum, Pyliaq́ vincet
Sæcula vita,
Viuet vt Phœnix, tua laureati
Fama post grandes operas triumphi:
Dum Tibi Laurus, niuea coronat
Tempora frontis.

XXIV.

XXIV. V. D. THOMÆ IAMBICKI.

Luna cum tribus Stellis.



Cum Lemmate: Ternione perfectiùs lucet.

CYnthia pulchra Tibi sinuosos destinat Orbes,
Stellarum radians, tergeminusq; nitor
IAMBICKI: quid enim Te cultiùs aurea Pallas?
Aût quid Phœbus habet? Castalidûmq; cohors?
Luna quòd à Phœbo nocturnæ lampadis instar
Lumen habet, vultu dum rutilante nitet:
Orbis terrarum communes spargit in vsus
Nec sibi, sed nobis sidera pulchra nitent.
Sic Tua mens doctum quod habet iubar, omnibus illud
Largitur, niuei cordis habetq; decus.
Præstans eloquium, fortissima corda Polona
Armauit; sæuus Byston, vt intereat.
Grande Camæneci damnum gemituq; styloq;
Ostendisse licet Sarmata quando gemis;
Vincere posse doces, & iam dicendo triumphas;
Ore ferens Cyneam, iudicioq; Sophum,
Ergo Tibi doctam pulcherrima Cynthia frontem,
Atq; genas decorent sidera terna tuas.
Lucebis calamo, meritis, virtute docorus;
Inclyta Tu vitæ, Lux sapientis eris.

XXV. V. D. FRANCISCO MARTINO ZABINSKI.

Nauicula cum Stella



Lemma. Ventis dat vela secundis.

I

Argo

ARgo quæ tulerat grande Pelasgici,
Culmen Nominis vt velleris aurei,
Heroas, Pelagi Littora Colchici,
Iason dum petit inclytus.

Argo sacra fuit, Numine prospero,
Quæ fluctus rabidos, monstraq; Nerei,
Vicit, sideribus vecta fauentibus,
Vt sic vellera tolleret;

Auri quæ pretium nobile fecerant,
Non est, Æolias qui superet minas,
Qui portum teneat, ni faueant sibi,
Alto Sidera vertice.

ZABINSKI pelagum tu quoq; cogitas
Instructus ratibus, sed benè prouides;
Quando nauigio Sidus habes tuo,
Cæli cardine quod fauet.

Seû Tu per Cathedras Oceano Sophûm,
Committes animi nauigium Tui:
Seû suadæ potiùs per Latium mare,
Ventis carbasa prouehes;

Te cæleste iubar sidere prospero,
Securum faciet, dulceq; littoris
Solamen tribuet; lætus vt occinas,
Carmen Tespiadûm Tibi.

II. V. & Admodùm Reuerendo Domino, Patri, CONCESSO ROTKIEWICZ.

Ordinis Canonicorum Regularium de Pænitentia BB. Mart.
Eiusdem Laureæ Candidato,
Pro tunc Præposito Bogoriensi,
AVTHORI OPERIS.

V. D. IOANNES CHRYSOSTHOMVS RVCIENSKI.

Eiusdem Laureæ Candidatus,
In applausum. & vim mutui affectûs, offert,

Gen-

Gentilitiam eius medio Lilium, & soleam; in cuius desuper Crux.



Lemma: Crux de- cus est soleæ, ni- ueo candore tri- umphans.

SI charites florere decet, Musasq; virere,
Delicijs gaudere suis, mulcentibus almum,
Tespiadûm pectus, fidibus sua metra canendo.
Te quoq; ROTKIEWICZ viridi iuuat agmine florum
Cingere: qui nostras Laurus vernare perenni
Tempore fecisti, commendans nomina seclis,
Nostra secuturis; quorum est obliuio nulla.
Ipse per æternos splendebis laudibus annos,
Relligione sacrâ fragrabunt Lilia casta
Hæc Tua; quæ tribuit virtus Heroa Paterni
Stemmatis in Solea; quam Crux diuina sacrauit.
Hâc soleâ calcatus honor Cruce surgit in ista,
Et caput auricomum tollit sub sidera Lauru.
Accurris celeri passu, fastigia vatum,
Pegaseis scandens pedibus, regnumq; bicorne
Montis Apollinei tentas habitare secundus.
Quidquid calcasti soleis validissime miles,
Aût tetigit scribens nostras Tua dextera laudes;
Omnia sunt flores, violæ, rosa, purpura, byssus:
Cuncta verecundo excreuerunt ore Tuomet;
Quêis nos ornâsti sublimi digne colosso.
Vltra sauromatas ibit Tua fama superstes:
Splendida clamabunt Messalæ marmora nomen,
Entheus & celebris longè doctrina patebit,
Pieriusq; calor; qui venis pectore sacro
Incidit; attonitis cantabitur auribus Orbis.
Ipse Perypathus residens super abdita mentis
Grande propagabit, nomen certantis Alumni.
Cuius Tu Nodos facili ratione resoluis,
Subtiles prensando vices, tranando profundum
Dogma Stagyræum: Ciceronis mellea suada,
Nectareum succum Tibimet dedit ore diserto.
Nostri quidquid habent animi, vel pectora fratrum,
Dotibus ex proprijs retinent encomia magna;
Vnica sunt in Te (credo) compendia laudum!
Quas nobis lætus fidibus, Cytharisuè dedisti:

Glo-

Gloria nostra Tuo, docto dependet ab ore:
Egregiæ dotes vincunt præcordia nostra:
Vincit amor Musam, sed victa triumphat in illo,
Corde locata Tuo, Crucibus signata sacratis.



Sub Felicissimis Auspiciis,

Magnifici, Perillustris & Admodùm Reuerendi Domini,

D·M· FRANCISCI PRZEWOSKI,

Sacræ Th: Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Decani, Scholastici Curzelouiensis, Curati Zielonecensis, Contubernij Hierosolimitani PROVISORIS.

Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCVRATORIS.

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis & vigilantissimi

RECTORIS.